

## Werk

**Titel:** Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

**Autor:** Bakius, Reinhardus

**Verlag:** Lungius; Schmidius

**Ort:** Lübeck; Schleusingae

**Jahr:** 1640

**Kollektion:** VD17-nova

**Werk Id:** PPN616188471

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG\_0012

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

Dom. primæ adventûs Evangelio, notum, Matth. 21. v. 9. Alii putant in his verbis Christum perstringere voluisse vanam Judæorum hypocrisin, quod velut promissæ salutis ardentem cupidi, quotidie ex Psalmo 118. cecinerint: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, & interim ludibrio habuerint promissum Redemptorem, Bez. Sed cum hæc verba à Christo repetita sint etiam post ingressum suum publicum, videlicet Matth. 23. v. ult. rectè puto hæc exponi non de primo, sed potiùs de ultimo adventu, ut sit sensus: *Hactenus inter vos submisè & humaniter versatus & doctoris officio functus sum, sed quem nunc redemptorem contemnitis & salutis ministrum, illum aliquando judicem experiemini cum majestate rediturum, quidam hanc sententiam ideò repudiant, quod non credibile sit impios & incredulos de Christo dicturos: Benedictus, qui venit in nomine Domini: verùm hic scrupulus nullus est, cum Zach. 12. v. 10. dicatur, impios nolentes volentes visuros illum, quem transfixerunt, imò nolentes etiam dicturos eos: Domine, Domine, Matth. 7. v. 22. ¶ Observa hîc Judæorum cæcitatem ad novissimum usque diem duraturam, interea gentium plenitudo ingréditur, & ira Christi Judæos premit, donec sub finem etiam Israel salvus fiat, juxta vaticinium, Rom. 11. v. 25. Sed de hoc vaticinio alibi egimus, concludimus itaq; dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, imò qui *veniet* in nomine Domini, utq; *veniat* citò, etiam atque etiam his rogamus: *Veni Domine Iesu, etiam veni! visita nos in pace, ut lateamur coram te perfecto corde, Amen.**

## Feria III. Nativitatis Christi, Evangelium Johan. I.

**E**rat in principio sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat ille sermo. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat,



erat, & vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, & tenebra eam non apprehenderunt. Erat homo missus à Deo, cui nomen Joannes. Hic venit in testimonium, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum. Non erat ille lux, sed ut testaretur de luce. Erat lux illa, lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, videlicet his qui credidissent in nomine ipsius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et sermo ille caro factus est, & habitavit in nobis. Et conspeximus gloriam eius, gloriam velut unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate.

*Johannes vero  
tonitrui filius.*

**M**arci 3. v. 17. Joannes & Jacobus peculiari nomine à Christo vocantur: Boanerges, Filii tonitrui, vel ut Syrus legit: Ben-rigu, Filii fragoris, & Johannem quod consernit, trina hujus denominationis afferri posset ratio: I. Merito tonitrui filius ille dicitur, qui in monte Thabor, unâ cum fratre Jacobo & Petro, audivit vocem Dei Patris super filium intonantem & dicentem: Hic meus est de pectore - dilectus ipse natus - commendando vobis hunc probè.



probe - omnes ut audiat - dictūq; pareatis, Matth. 17. quæ quidem vox alibi populo visa est vox tonitruī, Joh. 12. v. 29. II. Merito filius tonitruī dicitur ille, cui Dominus dedit sonorā vocem, qua tonaret & quodam quasi tonitru mundum percuteret, nec indignè fulmen dicitur Joannis Evangelium, cum eo prostrati & ferè non contriti sint Ebion, Cerinthus, Marcion, Carpocras, &c. unde Beda pulcherrimè: *si Ioannes plus aliquanto intonasset, totus mundus capere non potuisset*, adeoque verum erat in Ioanne illud Davidicum: *Tonitruī suo dedit fortitudinem, Et gibe setinere Donner Krafft*/ Pf. 68. v. 35. III. Filius tonitruī non immeritò dicitur Iohannes, ob majestaticum Evangelii sui exordium, de quo Prochorus Metaphrastas, Hieronymus & alii testantur, quod illa verba: *In principio erat verbū, cœlitus audita & castissimis Evangelistæ aurib<sup>9</sup>, in monte Ephesi vicino hausta sint*, INTER TONITRUA & FULGURA. Unde Ambrosius dicit: *Transcendisse Ioannem nubes, cœlorum virtutes, & Angelos, reperisse ipsum verbum in principio & vidisse verbum apud Deū. Ut itaq; nudiū tertius audivimus Evangel. Lucam Christi nativitatem simplicissimā simplicissimè enarrantē, ita jam audiamus nostrum Iohannē, quia filius tonitruī est qui loquitur, & tonitruum est quod loquitur*, Ardens: *audiamus Genealogiam incipientē ab eo, qui genealogiā caret, Orig. attendamus illi, qui non tantū altissime volavit penna virtutis, sed & altissime vidit oculo contemplationis, ac altissime intonuit verbo predicationis, ut filius Tonitruī, ut Ecclesia fulcrum (Gal. 2. v. 8.) & cœlestis aquila, de qua veteres: Volat avis sine meta, quo nec vates nec Propheta - evolvit altius: imo auscultemus illi hodie, qui omni Cytharado omniq; Musica suavius utiliusque procinit, cui proscenium univ. sum cœlum, Theatrum orbis terra, spectatores angeli & quicunque homines aut esse aut fieri angeli desiderant, Chryso. prolog. in Ioh. quia Iohannis Evangelium non collo aut chartæ traditum, ut papistæ superstitiosissimè putant, sed cordi menti q; nostræ alligatum & inscriptum, prodest. Es sollte Mühe haben etnen Orth in der Bibel zu finden/ in welchem alles/ was von Christi Person/ Ampe vnd Wolthaten zu wissen/ so ausführlich vnd gründlich beschrieben were/ quā in hoc compendio, quod docet de λόγῳ: Quando erat? quomodo erat? quid erat? quid egerat? quid agebat? ubi erat? quō venerit? quomodo venerit? quo tempore venerit? qua causā venerit? Ambros. sup. 2. Luc. tom. 5. p. 24.*

In principio erat verbum.] Altitonans noster & altivolans Evangelista descripturus Christi Servatoris & DIVINITATEM & HUMANITATEM peculiari utitur stylo, filium Dei VERBUM nuncupans, &



Verbum quid in  
Ioanne significet

notentur hic quæstiunculæ sequentes. I. Quæritur, quid Verbum hic significet? vox enim λόγος à λέλογα medio verbo desumpta, sermonem à sermocinando non malè quidem significat, sed varia est acceptio vocis, quia (1.) Act. 1. v. 1. λόγος videtur significare librum, ut: πῶς τὸν λόγον. (2.) Act. 2. v. 22. λόγος videtur significare narrationem rei gesta, ut: audite τὰς λόγους τὰς. (3.) Matth. 12. v. 37. λόγος simpliciter sermonem significat, ut: ἐν τῶν λόγων σε justificaberis (4.) Matth. 12. v. 36. λόγος significat excusationem vel defensionem, ut λόγον δέναι, se tueri de otioso verbo. (5.) Ioh. 6. v. 60. & alibi passim λόγος mandatum significat, σκληρὸς λόγος, unde etiam decem præcepta δεκάλογος dicuntur. (6.) Act. 17. v. 18. λόγοι dicuntur Nugæ, unde Paulus Athenis nominatus est ἠερολόγος. (7.) Oracula Prophetarum dicuntur λόγος, Hebræis Dabbar, quod tamen frequentius ῥῆμα vertitur. In prophanis etiam autoribus plura λόγος significat, ut: Definitionem, rationem, consilium, sapientiam, &c. imò verbum Latinis nihil aliud est, quam aer offensus, vel sonus oris intelligibilis, dictus, Verbum à verberatione aeris per linguam. Hinc Paulus Samosatenus in nostro textu finxit verbum aliquod Enunciativum, referente Damasc. l. de hæref. pag. 580. Servetus l. 3. & Dialog. 1. de Trinitate per λόγον hic intellexit Idealem rationem & prolationem: Testatur etiam Hilarius libro de Synodis quod Marcellus & alii Verbum hic dixerint prolativum & insubstantiva vocis incorporalem sonum: imo Theophylactus in c. 1. Ioh. introducit Porphyrium empetam, qui ita sit argumentatus: Si filius Dei verbum est, vel est pronunciativum vel mentale, at neque hoc neque illud est, Ergo nec verbum est; præterea hodierni etiam Photiniani Ostorodus, Enjedinus, &c. λόγον hic accipiunt, non ἔσιωδῶς, sed saltem μετὰ φωνῆως. Verbum ex textus nostri v. 4. & sequentib. manifestissimum est, loqui hic Ioannem de filio Dei, atque sic de tali Verbo, quod Patres annis abhinc plus 1300. nominarunt, vel λόγον ἢ ῥῆτὸν αἰδὲ ἔσιωδῶν, verbum non pronunciativum sed substantiale, juxta Ignatium: vel, verbum simul cum Patre existens & nascentis (συνὸν καὶ γενόμενον) juxta Clem. Alexand. vel verbum substantivum, juxta Tertullianum: vel, verbum super substantiale, juxta Dionysium Areopag. vel, verbum vivens & substantiam subsistentem, juxta Gregor. Neocæsariens. in sua Confess. vel, Sermonem perpetuò existentem, juxta Theophylum Antiochenum: vel, ut Tatianus pulcherrimè Orat. contra Græc. dicit: agitur hic de Sermone non inaniter prolato, modo enim inane & vacuum erit illud, quod de non inani & vacuo prolatum est?

Verbum unde  
& quid.

Patrum descriptio  
Verbi.



quomodo substantiâ carebit, quod de tanta substantia processit & tantas fecit substantias? Certissimum itaque est hic agi de tali Verbo, quod non desinit prolatum, sed permanet natum, quod non est transitorium sed æternum, quod à Deo Patre non est factum, sed genitum, nec solum genitum, sed etiam unigenitum. Fulgent. Serm. de Nativ. ¶ II. Quæritur: cur Ioannes filium Dei λόγον sive verbum nominare voluerit? fortassis fecit illud in gratiam Gentilium Philosophorum, qui passim in scriptis suis τὸ λόγος faciunt mentionem, Lactantius lib. 4. de Sap. c. 7. refert de Zenone Philosopho, quod naturæ Dispositorem & universitatis opificem Δόζον dixerit, eumque & Deum & Iovis Animam nuncuparit. August. hæres. c. 3. testatur de Mercurio Philosopho, quod librum quendam conscripserit, qui sit dictus Δόζος τέλει, Verbum perfectum & de perfecto hoc verbo narrasse ipsum, quod Dominus & factor omnium Deorum illud Verbum fecerit: secundum Dominum, quem diligit ut unigenitum suum. Lactantius refert in Pimandro hæc reperta esse verba: Mens Deus, Mentis verò Germen VERBUM lucens, Dei filius: imò Augustinus narrat se in libris Platoniorum reperisse, si non quoad verba, tamen quoad sensum, totum hodierni Evangelii Proœmium: *In principia erat Verbum.* Ad hæc nota est historia, quæ reperitur apud Suidam, de Thulide Rege Ægyptiorum potentissimo & superbissimo, qui cum scire vellet, an etiam rex aliquis in mundo potentia & opibus ipsum superaret, atque ob id Serapidis Templum accederet, ibi responsum ei est: πρὸ τοῦ Θεοῦ, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς, &c. Principio Deus est, tum Verbum, Spiritus inde,

*His tribus aequalis sicq̃ una essentia constat.*

Verum, hac in parte, quod Philosophi sciverunt, hoc habebant, vel ex Ægyptiorum, vel ex Sibyllarum, vel etiam ex Dæmonum suggestione, unde noster Joannes nullo modo eos respexit, sed hoc loco, ut & i. Johan. i. & 5. nec non Apocal. 10. quando Christum λόγον nominat, tunc illud fit ob rationes has sequentes: 1. certum est, Joannem hanc vocem desumisse ex scripturis, quia Psal. 33. v. 6. dicitur, VERBO Domini cæli firmati sunt: Psal. 107. v. 20. misit VERBUM & sanavit eos: Psal. 110. v. 1. Dixit Dominus Domino meo, Chaldaeus vertit: Dixit Dominus VERBO suo. Quidam etiam huc, cum Cyprian. l. 2. adv. Judæos c. 3. referunt, illud Psal. 45. v. 2. eructavit cor meum VERBUM bonum, ubi Tremellius pro eructavit posuit, Ebullit, eo innuens, quod λόγος ex Patris corde quasi ebulliat, juxta illud: *Herrn Christ einiget Gottes Sohn /*

*Et ij*

*Daters*



Pater in Ewigkeit/ Aus seinem Herzen entsprossen/ &c. Adhæc in ipso  
 creationis opere, quando Moses dicit: *Dixisse* Deum fiat firmamentum,  
*Dixisse* Deum fiat lux, tunc per illud *Dicere* intelligitur non verbum ali-  
 quod fluxum & evanescens, sed ut Joannes hic & Paulus Col. 1. perspi-  
 cûe interpretantur, *Filius Dei*, per quem omnia facta sunt, quæ facta.  
 II. Paraphrastes Chaldæus passim Filium Dei *ܩܪܘܢܐ Meimar* vel *Maltha*,  
 hoc est *Verbum* appellavit, & testatur Petrus Galatin. 1. 3. de arcan. Ca-  
 thol. Verit. c. 3. & seqq. eo tempore, quo Johannes suum conscripsit  
 Evangelium, hoc nomen inter Judæos valde usitatum fuisse. Accom-  
 modavit itaque Evangelista se ad captum auditorum suorum, ex qui-  
 bus postea nonnulli Evangelium Johannis Hebraicè verterunt, cujus  
 etiam versionis exemplaria in Bibliotheca Tiberiadis asservata Epipha-  
 nius refert. III. Omnes Prophetarum de Messia prædictiones di-  
 cuntur à Judæis *Dabhar* vel *Maamar*, *Verbum*: atqui Christus omnium  
 promissionum apex, erat & colophon, h. e. ipse Messias, cur ergo *VER-*  
*BUM* non diceretur is, in quo completum est omne verbum. IV. Quia Chri-  
 stus unicus ille *Consiliarius* Esa. 9. & *Referendarius* est, per quem Deus  
 Pater locutus est cum omnibus illis, quos quidem ab initio mundi un-  
 quam allocutus est, hinc dicitur *Athanasio*: *Patris Nuncius*, *Epiphanio*:  
*interpres voluntatum Dei*, *Lactantio*: *Magister doctrinae Dei & cœlestis arcani*  
*Promus condus*, imò addit Augustin. *Verbum Patris* idè dictus est *λό-*  
*γος*, quia per ipsum, innotescit Pater. *Er ist der Weg/das Licht/die Pfort/*  
*die Wahrheit vnd das Leben/des Vaters Rath vnd ewiges Wort/ &c.* V.  
 Quicquid definitur, *Verbo* definitur, sic Filius Deum incomprehen-  
 sibilem facit nobis comprehensibilem juxta illud: *Deum nemo vidit un-*  
*quam, filius autem qui in sinu Patris est revelavit nobis*, Ioh. 1. VI. *λόγος* di-  
 citur, *ratio hominis*, & illam Cicerol. Tuscul. nominat *Reginam & Dominam*  
*omnium*, hoc autem elogium, propriè pertinet ad solum Christum, *Do-*  
*minum & Regem omnium*, hic *λόγος* est cui flectant se cœlestia, terre-  
 stria, subterranea, Phil. 2. VII. Patres varias habent similitudines, quas  
*λόγος* cum verbo vocali habeat, ut, quod genitus est (ceu sermo) ex cor-  
 de Patris, quod natus sit ex patre sine affectione, ceu verba de mente no-  
 stra, quod Dei Patris essentiam, instar verbi, repræsentet, &c. Sed in his  
 parci sumus & cauti, partim idè, ne videamur statuere *verbum* aliquod  
*metaphoricum* juxta Photinianorum blasphemias, partim etiam idè,  
 quod hic omne simile claudicat, nostrum enim verbum initium habet,



λόγος non item: nostra mens verbo est prior tempore, Christus Patri est coæternus: nostra verba fluxa sunt, *foliis leviora caducis*, juxta Poëtam, Christus est æternus: Nostrum Verbum non est filius noster, Christus autem est filius Dei patris unigenitus: imo nostrum Verbum neque vivificare neque res condere potest, id autem in nostro textu de æterno λόγῳ dicitur. Quibus expeditis facilius jam erit responsio, ad nonnullas Patrum quæstiunculas: V. G. quærit *Origenes* cur Johannes filium Dei simpliciter verbum nominarit, & non verbum Dei? sed responsio in promptu est, cum articulus ὁ hic addatur, cum statim jungatur: *Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum*, imò huic Verbo cum omnium rerum Creatio & Vivificatio adscribatur, quis non videt de verbo non humano sed divino eoque *substantiali* hinc agi? Quærit porro *Chrysost.* cur Johannes suum Evangelium voluit auspiciari à Filio & non à Patre? ipse respondet, *quia filius ad patris notitiam nos deducit*, Joh. 14. Theophylactus hanc addit rationem quod *Patris persona notior fuerit quàm Filii*: nos annectamus tertiam, *Ebionis* scilicet & *Cerinthi* hæresin, quæ oppugnabat non *Patris sed Filii personam*, his itaque ex professo noster Evangelista os obturare & à scopo rei incipere voluit. Quærun etiam quidam, cum Chrysost. cur Johannes filium Dei nominarit, *non Iesum, non Christum, non Dominum, nec, ut in hesterno Evang. Angelus. Salvatorem*, sed *Verbum*? At ratio est, quod dicta nomina Christi tantum officium describunt, Ioannes autem utrumq; & personam scilicet & officium Christi delineare voluit, ideo voce λόγῳ utitur, in qua omnia alia latent & patent nomina. ¶ Utere his ad *Consolationem*, cum ideo λόγῳ dicatur filius Dei, quia perpetuò apud Patrem pro nobis intercedit, 1. Ioh. 1. Rom. 8. Heb. 7. *Er redet vns das Wort / Er ist der beste Worthalter vnd Referendarius*, si quis excedit gratiã alicujus Principis, & vero aliquis est, principi acceptissimus, qui ipsius causam agit tunc intrepidè reconciliationem ille sperat, nos per lapsum Adæ Dei perdideramus favorem & gratiam, sed Christus, λόγῳ ille Patri acceptissimus, nostram agit causam, imo in extremo judicio quis accusare poterit electos? Deus est qui justificat, imo λόγῳ est, qui nos excusabit & defendet, in voce itaque λόγῳ exultemus, orantes: *Eine fröliche Auferstehung mir verleyh / Am jüngsten Gericht mein Vorsprecher sey / c.*

*Consolatio ex voce λόγῳ.*

*Argumenta Iohannis unde cum Christi divinitatem probantia, eaque summa:*

In Principio. ] Veniamus jam ad argumenta numero *vel undecim* quibus Ioannes altivolans Aquila Christi divinitatem præbat. I.



I.  
Ab æternitate.

*Deducit ab æternitate* IN PRINCIPIO, Quidam per hoc principium intelligunt Deum Patrem, qui cum totius divinitatis sit principium, Iohannis sensum hunc esse, *in Patre erat Verbum*, sicut ipse Christus dicit: *Ego sum in Patre, & Pater in me*, Ioh. 14. v. 11. Alii intelligunt hic per principium ipsam æternitatem, ut in principio idem sit, quod à principio vel ante principium omnium rerum conditarum, sicut etiam Ioannes noster alibi dicit: *Verbum quod erat ab initio*. 1. Ioh. 1. vel ut Paulus, Christus fuit: *Ante omnia*, Col. 1. v. 16. *Ipse ante omnia*, 2. Timoth. 1. v. 9. Alii intelligunt per principium, *principium cogitationis*, vel omne principium, quod vel animo concipi vel ore signari queat, hinc Hilarius l. 2. de Trin. *Meus Pifcator illiteratus, indoctus, liber à tempore, solutus à seculis, vincens ætates, pone igitur aliquod quod voles tuâ opinione principium, non tenebis tempore. ERAT enim*. Alii dicunt distinguendum esse inter principium Mosaicum & Iohannæum, Moſen loqui de principio creato, Iohannem verò de increato, id quod Lutherus distinxerit, vocibus: *Am / & Im /* in Genesi dicitur: *Am Anfang /* hic verò *tm Anfang /* quia Moſes principium ducit de iis rebus, quibus est principium, Ioannes autem incipit ab eo principio, cui nullum est principium: Moſes agit de creatura, Ioannes de creatore, Moſes de cælo & terra, Ioannes de cæli & terræ opifice, &c. Verùm nos simplicissimè per principium intelligimus, *initium temporis*, quia principium vix dicitur unde ordimur: Principium artium, unde oriuntur: Principium belli, occasio: Principium generis humani, Adamus: Sic in nostro textu principium simpliciter sumi potest, pro initio Temporis, quasi diceret Ioannes, cum res inciperent condi, jam λόγος erat, h. e. nunquam cœpit, semper fuit, ante omnia condita extitit, cum tempus ipsum esse inciperet una cum rebus, & res una cum tempore, ERAT Sermo scil. ante illud temporis principium, est igitur hæc phrasis descriptio æternitatis, siquidem ante principium temporis & rerum conditarum creationem, nil nisi Deus æternus fuit. Cum igitur fuerit λόγος, antequam locus & tempus esset, utique æternus & sic verus Deus erit, consentiunt Patres magno numero dicentes: *Principio nihil antiquius est, nunquam enim principium principii poterit excogitari*, Cyrill. Alexand. *Si in principio erat, quando non erat?* Basil. *Quod in principio erat nec tempori includitur, nec principio prævenitur*. Ambros. *In principio, nihil aliud, quam quod semper sit significat*. Chrysoſt. hom. 1. in Ioh. Tale igitur argumentum necit Ioannes: *Qui æternus est, is verus Deus est, at λόγος est æternus, Ergo. Major patet ex*



tet ex dictis, Job. 36. v. 26. Psal. 90. v. 2. Esa. 41. v. 4. 43. v. 10. 57. v. 15. 63. v. 16. Minorem probat noster Ioannes, cui reliqui etiam Prophetæ & Apostoli consentiunt, Psal. 2. **HODIE genui te**, Prov. 8. Dominus possedit me *ab initio*, Esa. 9. Pater æternitatis, Mich. 8. egressus ejus à diebus æternitatis, Johan. 17. vult Dominus eâ glorificari gloriâ, quam habuerit *antequam hic esset mundus*, Heb. 13. Christus Jesus heri, hodie & in secula, Apocal. 1. Ego sum primus & novissimus, &c. ¶ Confutabimus hic & *Arrianos & Pontificios*, Arius voluit Christum quidem *αὐτογενον* fuisse, sed non *ἀρχονον*, unde dicere solitus est: *Fuisse aliquando Patrem, cum nondum esset filius*, imò: *Filium habuisse principium*, quod ut obtineret, dixit per Principium in nostro textu intelligi *principium prædicati Evangelii*, & detorsit huc dicta: Qui mecum ab **INITIO** estis Ioh. 15. v. 17. ab **INITIO** non dixi vobis, Ioh. 16. v. 4. *Principium Evangelii Jesu Christi*, Marc. 1. v. 1. qui à *principio* sectatores fuere, Luc. 1. v. 2. cum Iesus cœpit docere, Act. 1. v. 1. &c. repetunt hæc *Pharisei & Raccovienses* in Catech. c. 1. p. 60. Verùm in his dictis licet de principio prædicati Evangelii agatur, non tamen sequitur hic etiam tale intelligi principium, quia totus contextus manifestè reclamat, narrat enim (1.) Ioannes quid & ubi *λόγος* fuerit, *ante suam incarnationem*, Evangelii autem prædicatio incarnationem subsequuta est. Dicit (2.) Ioannes expressè de *λόγος* esse Deum, quomodo autem Deus erit, si tantum à Nativitate, vel Evangelii prædicatione fuit? certissimum itaque est *λόγος* esse *ἀρχονον* ut Nonnus Paraphrastes reddidit, vel ut alii, *ἀναρχον* h. e. talem, qui ante omne principium & in principio rerum omnium veraciter subsisterit. ¶ II. Pontificios quod attinet, illi Novitatis in religione accusant nos, qui salutis spem in uno Christo collocandam esse docemus; verum si Salvator noster ab æterno est, utique à Novitatis crimine jam absoluti sunt omnes illi, qui ipsum pro redemptore suo agnoscunt, quia nulla fides *antiquior* & nulla salutis via *vetustior* esse potest, quàm quæ filio Dei æterno illo *λόγος* nititur. *Novi* autem & *Novatores* sunt omnes illi, qui salutem extra Christum, æternum illum *λόγος* quaerunt.

Et verbum erat apud Deum. ] Sequitur secundum divinitatis Christi argumentum, desumptum à *coequalitate*: Verbum erat apud Deum, Theophylactus *θεός* interpretatur per *σύν*, ut sit sensus: Erat *σύν τῷ Θεῷ*, cum Deo, sed res eodem recidit, cum nondum vel locus esset vel tempus, fuit *λόγος*, at ubi fuit? fuit *apud Deum*, fuit in *finibus pa-*

Confutatur  
Arius.

Doctrina nostra  
nova non est.

II.  
A Coequalitate.



bus paternis, juxta Theophyl. vel ut noster Evangelista postea dicit, fuit in sinu patris, h. e. fuit ejusdem essentiae cum Patre, quia sinus patris nihil aliud est, quam Divinitas & εὐσία patris, intra quam filium ab aeterno genuit. Argumentum itaq; tale est: *In Deo vel apud Deum nihil erat ab initio, quam ipse Deus vel ipsa Dei essentia.* Iam verò λόγος ab initio erat apud Deum, ergo patri erit consubstantialis, juxta Symbolum Nicenum, & sic verus Deus.

Confutatio

I.

Arius.

¶ Confutabimus hic & Arium & Sabellium. Arius dixit: Si verbum ab initio fuit apud Deum, duo fuerunt Dei, adhuc Angeli & beati coelites etiā sunt apud Deum, nec tamen sequitur Deos ipsos esse. Resp. λόγος fuit ab initio in Deo, essentialiter, sed apud Deū personaliter, ut genitus apud gignentem, ut persona apud personā, imo ut imago apud eum, cujus est imago, adeoq; pater & filius non sunt ἄλλο καὶ ἄλλο aliud & aliud, sunt autem ἄλλο καὶ ἄλλο alius & alius propter hypostaticam & specificam differentiam. Angelos quod attinet & Sanctos, sunt illi apud Deum, sed non ab initio, & de angelis quidem ita loquitur scriptura quod sint & stent ante Deum, de λόγῳ autem, quod sit cum, in & apud Deum, adeoque longè excellior ille factus est angelis, Heb. 1.

II.

2. Sabellian.

¶ II. Sabellium quod concernit, commiscebat ille tres Deitatis personas in unam, dicens, illam unicam personam alio respectu jam Patrem, alio Filium & alio Spiritum S. dici, Sicut unus idemque vir & Professor Academicus & Ecclesia Pastor & Pater familias dici possit; sed in nostro textu, quis non videt, aliam personam esse λόγον qui fuit apud Patrem, & aliam Patrem apud quem fuit λόγος, licet enim pater & filius εἶσιωδῶς non distinguantur, distinguuntur tamen ἑποικιλῶς ita, ut tres sint qui testimonium perhibent in cælis, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt, 1. Johan. 5. credere hæc non vis? ito ad Jordanem, Matth. 3. ito ad montem Thabor, Matth. 17. imo ito ad nostrum Baptisterium, Marc. 16. & videbis.

III.

A nominis proprietate.

Et Deus erat verbum. ] Pergamus ad 3. argumentum. D. Joannis quod desumit à nominis proprietate: Deus erat verbum, vel, ut ex Græco legi debet: ὁ λόγος ἦν Θεός, Verbum erat Deus. Argumentum tale est: *Quemcunq; Scriptura, in significatione maximè propria Deum nominat, is est verus Deus, sed Ioannes hic λόγον Deum nominat.* Ergo. Equidem Diabolus dicitur etiam Deus hujus mundi, 2. Cor. 4. v. 4. Magistratus dicuntur Dii, Psal. 82. v. 6. ut & idola, Esa. 41. v. 23. Sed quis non videt improprie Deum dici, Diabolum quidem ob affectatam potentiam: Magistratum ob officii, quo Dei loco fungitur, eminentiam: Idola verò ob vanam homi-



num opinionem & sententiam, Christum autem Deum dici sensu maximè proprio, quoties Scriptura & V. & N. T. probat? Psal. 45. unxit te ò Deus, Deus tuus, Psal. 47. ascendit Deus in Jubilo, Esa. 7. Immanuel, nobiscum Deus, Esa. 9. Deus fortis, Esa. 33. Deus universi orbis, Joh. 20. Deus meus, Dominus meus, Rom. 9. Deus benedictus in secula, 1. Joh. 5. Verus Deus, &c. *in his omnibus latet nomen non honoris, sed confessio natura,* Hilar. l. 7. de Trin. pag. 116. ¶ Profunt hæc ad Confutationem & *Confutantur* *Judeis & Mahometis.* *daorum & Mahometistarum,* qui dicunt nos Christianos ponere fiduciam in nudo homine, qui Bethlehemii natus, Nazarethi educatus, tandemq; Hierosolymis sit suspensus, unde Christum Lucianus nominavit, *Α ναικαλο το δ' ε' τ' ε, in palo suspensum;* sed de hoc suspensio & pro nobis crucifixo Christo, qui Judæis scandalum est & gentilibus ludibrium, 1. Cor. 1. vide quam magnifica prædicit D. Joannes, *quod fuerit ab initio, quod fuerit apud Deum, imò quod sit ipse Deus;* jam verò canit Ecclesia: *Wer Gott vertrauet / hat wol gebawet / im Himmel vnd auff Erden / ideoque maledictus sit, juxta Basl. qui Christi divinitatem negat, is enim non in Deo, sed in nudo homine confidit,* qui autem cum nostro Johanne Christum pro vero Deo agnoscit, is meritò suam in ipsum fiduciam collocat, quia juxta Versiculos: *Qui Domino fidit, felici navigat undâ, Fidere principibus ventus & aura levis,* vide Psal. 118.

Omnia per ipsum facta sunt.] Quartum Deitatis Christi argumentum desumit Joannes: *à rerum omnium creatione,* hoc sensu: *Per quem omnia condita sunt, is est verus Deus, sed per λόγον omnia condita, Ergo.* Equidem disputarunt olim & Lombardus & Durandus etiam Creaturæ tribui posse vim creandi aliquid, sicut Angeli à Simonianis *Mundi Fabricatores* dicti sunt, & volunt etiam Sacrificuli Papistarum *Missatici, Creatoris creatores* esse, juxta illud *Gabrielis Biel* in Speculo Sacerdotum: *Qui creavit me, fecit me creare se, & qui creavit me sine me, creatur mediante me:* Verum reclamant, & Paulus Roman. 4. vers. 17. & Esaias, c. 64. v. 24. & *Epist. ad Hebræos,* dicens: *Qui omnia creavit, Deus est,* Heb. 3. v. 4. Argumentum itaque tale est: *Per quem omnia condita sunt, is est verus Deus, per λόγον omnia condita, Ergo.* Minor stabilitur non tantùm hic, sed & Psal. 33. v. 6. Col. 1. v. 16. Prov. 8. v. 30. Ariani varia hic objecerunt. 1. Dixerunt Iohannem testari omnia condita non à Christo sed *PER Christum,* particulam autem *PER* notare instrumentum saltem & *organicum medium,* quale sit feceris in manu fabri, & gladius in manu Gedconis, dici itaque mundum



Particula PER  
multoties non  
instrumentum,  
sed efficientem  
notat.

per λόγον conditum, non δημιουργικός, sed saltem ὀργανικός, non potentialiter sed saltem ministerialiter & instrumentaliter: 2. dixerunt Christum primam Dei creaturam fuisse per quam omnia condita, id quod manifestum sit ex Proverb. 8. v. 22. ubi dicat sapientia: Dominus CREAVIT me ab initio viarum suarum, & Col. I. v. 15. nominari Christum primogenitum Creaturarum, &c. Sed Respond. Particula Per (1.) multoties significat causam non instrumentalem, sed potius efficientem, id quod Basilius contra Aetianos, multis demonstravit, & res plana est, dicimus nostrum Evangelium conscriptum PER Ioannem, dicimus hoc vel illud beneficium nobis obtigisse, PER Dei gratiam, dicimus nos redemptos PER Christum, dicimus hanc vel illam prophetiam inspiratam PER Spiritum S. ubi PER semper efficientem notat, ut & in his dictis luculentissimis: Fidelis est Deus PER quem vocati estis in societatem Christi Iesu filii ejus, I. Cor. I. v. 9. Christus resuscitatus est PER gloriam Patris, Rom. 6. v. 4. quis hic non videt efficientem? Quin imò peculiaris filii vel secundæ Trinitatis personæ Character est particula PER: Joh. I. In mundo erat & mundus PER ipsum factus est, I. Cor. 8. unus est Dominus Iesus Christus PER quem omnia, Col. I. qui est imago Dei inconspicui, PER illum creata sunt omnia, Heb. I. novissimè locutus est PER filium, per quem & in illo sunt omnia. Adhæc si maximè organon hic describeretur, tamen esset ὄργανον ἐνεργητικὸν καὶ ποιητικόν, quale est Ars ipsa in mente Artificis, quæ ut ab Artifice separari non potest, sic etiam hic λόγος Dei ab ipso Deo conditore separari non debet. Quando (2.) dicitur Christum primam esse Creaturam, tunc reclamant & Moses & Johannes noster. Moses dicit, ante creationem cœli & terræ orbem fuisse planè vacuum ac inanem, quomodo autem hoc universum vacuum fuisset & inane, si jam tum adfuisset λόγος, ante alias creaturas conditus? Joannes noster dicit, omnia quæ facta sunt, per λόγον facta esse, & sine ipso nihil factum, si itaque λόγος etiam factus vel creatus esset, utiq; se ipsum fecisset & creasset, Id quod absurdissimum. Locum (3.) Prov. 8. quod attinet, in eo patres multum laborarunt, alii urserunt sphalma Græcorum, cum sit legendum, προ ἔκτισε ἔκτισε, pro CREAVIT, possedit, Athanasius, dixit locum Prov. 8. agere de humana Christi natura, quæ in plenitudine temporis sit creanda, & sic loqui cœlestem sapientiam, more Prophetico, de eo quod certò futurum erat, ac si jam factum fuisset, sed Dn. Gesnerus in Pals. p. 280. rectè urget vitium vulgare versionis CREAVIT, cum in Hebræo sit קָנַן Kanani, h. e. Dominus genuit & generando ac-



quisivis, sicut & Eva de Caino dicat: *ἦν ἡ* possedi vel generando acquisivi virum Dominum, Gen. 4. Sicque hic locus nullo modo probat Christum creaturam esse. Tandemque (4.) in Paulo, quando Christus dicitur *Primogenitus creaturarum*, distinguendum est, inter *πρωτόγονον Primogenitum*, & inter *πρωτότογον Primogenitum* creaturarum, Christus Primogenitus quidem est, sed non *Primocreatus*, h.e. à Patre genitus ante omnes creaturas, sicq; exemptus simpliciter ab omnium creaturarum numero & ordine, unde statim subjungitur ad Col. 1. v. 16. *Per ipsum facta sunt omnia*, quomodo autem Creatura esse potest, qui omnium Creator est? ¶ Confutari hic possunt. 1. *Aristoteles*, qui mundum dixit esse æternum, cum tamen noster Joannes, in sublimiore Schola edoctus, mundum per *λόγον* certo tempore conditum asserat. 2. *Calviniani* volunt, Deum absoluto odio quosdam ad infernum prædestinasse, sed ille qui omnia condidit, omnes etiam homines condidit, jam verò diligit omne quod adest, nec odio habet quicquam illorum qua fecit, Sap. 11. v. 24. quomodo ergò amator ille hominum, quosdam absoluto damnasset odio? quin imò, ut *λόγος* ab initio fuit, ita nos Deus Pater in ipso dilexit & ad vitam æternam elegit, ante jacta mundi fundamenta, Eph. 1. v. 4. 3. *Homines superbi* propriis viribus, laboribus ac sudoribus assignant omnia sua dona & bona, sed quid dicit Joannes noster, *omnia per ipsum facta sunt*, huic itaque omnium rerum *Opifici* adscribamus, & vitam nostram, cum Jobo dicentes: *Manus tue plasnaverunt me*, Job. 10. & omnia cum corporis tum animi bona, quid enim habes, ô homo, quod non accepisti, si autem accepisti, quid superbis ac si non accepisses, 1. Cor. 4. imò in omnibus Adversis, hunc adeamus Dominum, per ipsum facta sunt omnia, ergò hodieq; jacta curam tuam in Dominum, ipse faciet, & quidem bene faciet: *Er hat einmal alles gemacht/und wirds noch wol machen/Psal. 37.*

Quæ facta sunt. ] Johannes noster admodum cautè loquitur, dicit per *λόγον* facta omnia, quæ quidem facta sint, & putat Chryl. limitationem hanc additam esse, *propter creaturas invisibiles*, cum enim Moses *θεατα* tantum & visibilia describat in Genesi, Joannem per hanc clausulam addere etiam voluisse invisibiles creaturas, *Angelos*, quæ factæ utique sunt, licet Moses in Catalogo creationis eas non ponat. Theophylactus putat hanc additam à Joanne esse clausulam, *propter Spiritum S. de quo quidem Moses referat, quod aquis incubuerit, licet autem aquas fecerit λόγος, Spiritum tamen S. Aquis incubantem non fecit, ut*

*Mundus non est æternus.*

*Deus nihil eorum odit, quæ fecit.*

*Æterno λόγῳ omnia nostra tribuamini.*



Peccatum non  
est ipsa hominis  
substantia.

qui cum Patre & Filio ejusdem essentia est ac gloria. Sed hodierni Theologi ut plurimum, cum D. Augustino, statuunt, hanc nostri Joannis clausulam oppositam esse peccato, quod ab initio factum non est, sed per Satanæ invidiam ac hominum Satanæ assentientium malitiam, in mundum introductum est, Sap. 2. Rom. 5. ¶ Suppeditant hæc confutationem *Manicheorum*, qui putant ipsam hominis substantiam peccatum esse; sed res plana est, *homo à Deo factus est, peccatum autem factum non est*, quomodo ergo ipsa hominis substantia peccatum esset? imò arrigant hic aures omnes illi, qui Deum quoquo modo peccati causam statuunt, qui enim peccatum non fecit, quomodo peccati Auctor esset? *non ei necessarii sunt impii, Syr. 15. v. 11. nemini mandavit impie agere, nec infidelium nec inutilium concupiscit multitudinem*, ibid. v. 22. imò ut Deus peccatum nunquam fecit, ita etiam coram ipso non consistit, qui facit iniquitatem, Psal. 5. v. 6.

V.  
A vivificatione

In ipso erat vita. ] Addit Joannes 5. & 6. argumentum divinitatis Christi, eaque desumpta 1. à vivificatione. 2. ab illuminatione. Vocatur enim Christus, *vita*, non tantum *vivificans*, quia ipse est *resurrectio & vita*, Joh. 11. v. 25. *verbum vita*, 1. Joh. 1. v. 1. *autor vita*, Act. 3. v. 15. & c. sed potius *vivificans*, quia vitam rebus omnibus impertit, hinc dicitur *nostra vita*, Col. 3. v. 4. *ego vivere facio*, Deut. 32. v. 39. *in manu ejus anima omnis viventis*, Job. 12. v. 10. *quoniam apud te est vena vita*, Psal. 36. v. 10. & c. Sic etiam *lux* Christus dicitur non tantum *absolutè*, quia ipse splendor est gloriae paternæ, Heb. 1. v. 3. *lucem inhabitat inaccessam*, 1. Tim. 6. v. 16. sed & *relatè*, quia fidei & divinæ cognitionis lucem hominibus impertit indeq; dicitur *lux Mundi*, Joh. 8. v. 12. *lux Gentium*, Esa. 49. v. 6. ut illi, qui fuerunt tenebræ, fiant lux in Domino, Ephes. 5. v. 8. Sicq; Christus & vita, & Lux est, tum sibi, tum hominibus: *NATURA sibi, hominibus EFFECTU. Vita erat, hoc est, vita causa nobis, Ambros.* ¶ Discamus hæc 1. unde habeamus vitam nostram, non ex casu quopiam fortuito, ut illi dicunt: *Casu orimur & casu morimur*, Sap. 2. v. 2. *nequaquam, nemo nostrum sibi ipse neque moritur neque vivit, sed Domino & vivimus & morimur*, Rom. 14. v. 7. hinc Christus *VITA* dicitur & quidem *vita hominum*, quia largitur nobis vitam, Job. 10. v. 8. & 12. *conservat vitam*, Act. 17. v. 28. *finit vitam*, Psal. 31. v. 16. Sap. 16. v. 13. imò in extremo die restituet vitam, unde & vita dicitur & *Resurrectio*, Joh. 11. v. 25. Si itaque ferat necessitas ut nobis pro Christi nomine moriendum, cur non lætioreremur?

Nostram vitam  
à Deo habemus.

redda-



*reddamus vitam, vitam quia reddere novit, 2. Marc. 7. v. 9. 14. 23. 29. qui propter vitam Dominum, vitam amittit, ille servabit illam ad vitam æternam, Joh. 12. v. 25. ¶ II. Dife. rectissimè Christum dici lucem hominum, quia more lucis, omnes Christus illuminat, qui in domo sunt, Matth. 5. more lucis pulcher est, pulcher in utero, pulcher in præsepio, pulcher in mundo, pulcher in consistorio, pulcher in prætorio, pulcher in patibulo, pulcher in caelo, ut pulcherrimè Augustinus ait, more lucis omnia Christus exhilarat, Psal. 4. v. 8. more lucis homines animosos reddit, Psal. 27. v. 1. more lucis à lapsu præservat, Psal. 118. v. 13. more Lucis viam monstrat, Joh. 14. v. 6. Psal. 23. v. 4. imò qui Christus non esset lux hominum, cum ab ipso habeamus, *Lumen natura*, h. e. rationem & omnes sensus, habemus ab ipso *Lumen gratie*, h. e. veram Dei agnitionem, habebimus ab ipso *Lumen gloriae*, h. e. vitam æternam, ambulemus ergò in luce ut filii lucis, Rom. 13. Ephes. 6. imò credamus in hanc lucem dum habemus, ut simus filii lucis, Joh. 12. v. 36. fugiamus etiam Papistarum cercas candelas & mucosas illas luces quas morientibus in manus his tradunt: *Nim das Siecht in deine Hand / vnd wander in dein Vaterland / quando rectius: Nimm Jesum Christ in Glaubens Hand / so wanderstu ins Vaterland / quia in Christi lumine videmus lumen, Psal. 36. v. 10. & reddimus parva luminaria, circa magnum lumen tripudiantia, Chrysost.**

*Christi lux mundi.*

*Mucosa Papistarum candela,*

**Erat homo quidam cui nomen Joannes. ]** Sequitur argumentum divinitatis Christi septimum sumtum à Baptistæ testimonio: cum enim admiranda essent & planè divina, quæ Evangelista dixerat, ut *quod fuerit ab initio, quod fuerit apud Deum, quod sit Deus, quod omnia condiderit, quod sit lux omnes illuminans vitæque omnes visicans*, & verò in ore duorum omne verbum consistat, Deut. 19. ideò noster Apostolus, præter suum testimonium, adducit etiam testimonium Baptistæ, cujus Autoritas apud Judæos maxima erat. Dicit i. erat quidam Homo, Joannes itaq; Baptista *Deus* non fuit, nec *ángelus*, nec *Angelus* sed homo, & putat Theophylactus voculam hanc opponi illis, qui ex Mal. c. 3. asseruerunt, Joannem dici angelum, non officio tantum, sed *naturâ* potius & *essentiâ*: Verum rectius dicitur, Baptistam hic nominari Hominem, ob summam quam in populo Dei habebat autoritatem, sicut & de Simeone dicitur: *Erat homo* quidam Hierosolymis, Luc. 1. v. 25. & de Nicodemo: *Erat homo* quidam inter Phariseos, Joh. 3. v. 1. dicit (2) noster Evangelista de Joanne quod fuerit homo à Deo missus, id quod huic

VII.  
*A Baptistæ testimonio.*



testi magnam conciliat auctoritatem; non enim à seipso Joannes venit, sed à Deo missus est, id quod testatur Esaias c. 40. v. 3. Mal. c. 3. v. 1. 4. v. 5. ut & Gabriel, Luc. 1. unâ cum Miraculosa Nativitate. Dicit (3.) Evangelista noster de Baptista, ipsum debuisse testari de Christo, ut omnes crederent, hic itaque finis erat omnium laborum, concionum, afflictionum, adeoque totius Ministerii Joannis, ut homines in Christum crederent, Christus quidem Joannis testimonio non indigebat, Ioh. 5. v. 34. Sed idè missus est à Deo magnus ille Homo, ut per ejus testimonium ab homine inveniretur plusquam homo, August. Tract. 2. in Ioh. Tom. 9. Dicit (4.) de Ioanne noster Apostolus ipsum non fuisse illam Lucem, sed lucis tantum testem, nec ulla hic ἀνπλογία fingi debet, cum Baptista Ioh. 5. v. 35. lucerna ardens & splendens dicatur, quia Johannes non lumen sed saltem illuminatus erat, erat lucerna ardens, sed non proprio igne succensus, ardebat lucens, sed non propria luce lucebat, stella matutina erat, at non à seipso propriam lucem acceperat, sed gratia ipsius quem precedebat, in eo ardebat & fulgebatur, Origen. Pulchrè hoc discrimen noster Evangelista indicare voluit, distinctis particulis: Ioannem vocat λόγρον, Christum verò φῶς, imò addit articulum τὸ φῶς, id quod Theophylact. f. 218. his illustrat: Lucem rectè dixerimus & Ioannem & unumquemq; Sanctorum, sed lucem illam cum articulo nunquam dicemus. Vnde si quis dixerit tibi: Iohannes lux est? annue: Si autem interrogaret nunquid Ioannes Lux ILLA est? Dic non, non enim ipse proprie lux est, sed lux per participationem, habens fulgorem à vera Luce. ¶ Discamus hic, quid proprie sunt omnes fidei Ecclesiæ Doctores, donis etiam præstantissimis instructi. Sunt HOMINES, sicut hic de Baptista dicitur: Erat homo quidam, idem de Matthæo dicitur: Jesus videbat Hominem ad telonium sedentem, Matth. 9. idem dicit de se Petrus: Egrediaris de me Domine, homo enim peccator sum, Luc. 5. angeli itaque Ecclesiæ Ministri non sunt, sed homines infirmi, labi possunt, errare possunt, malum ipsis cum Paulo adjacet, unde sapius quod nollent, faciunt, & quod vellent, omittunt, Rom. 7. sapius ipsis cum V. T. Levitis sacrificandum est pro propriis & deinde pro populi peccatis, quod itaque humanum est, ab Ecclesiæ Doctoribus, utpote hominibus, alienum non putemus. 2. Ut ut homines sint Ecclesiæ Ministri, homines tamen à Deo missi sunt, Deï economi sunt, 1. Cor. 4. Christi legati sunt, 2. Cor. 6. & quomodo prædicabunt illi, qui missi non sunt, Rom. 10. Væ itaque currentibus & vagantibus, currunt illi & non mittuntur, Jerem. 23. 3. Simus etiam nos testes, ut homines in Christum credant, hoc prædicemus unum, hoc dica-

*Ministri Ecclesiæ etiam homines à quibus humani nihil alienum.*

*Ministri verbi sunt homines à Deo missi.*



dicamus unicum, hoc modis omnibus contendamus unicum, ut nostri Auditores credant Iesum esse Christum filium Dei & per ejus nomen habeant vitam æternam, Joh. 20. 4. Licet Christus meritò sit & maneat Lux Mundi unica, de illa tamen luce nos etiam cum Baptista testemur, imò circa ipsum, ut *Luminaria parva* tripudicemus, nostramque ab eo lucem mutuemur, stamus enim medii inter geminam lucem, prior resplendet *ex sacrificiis Leviticis*, & notat V. T. alter relucet *ex igneis Apostolorum linguis* & depingit N. T. uterque ignis à Christo accensus est, quoties itaque prædicamus vel Legem & V. T. vel Evangelium & N. T. toties de Christo verà illà luce testamur, imò toties nostram lucem à Christi luce accendimus, indeque *Lux mundi* dicimur, Matth. 5. vers. 24.

**Ipse erat vera illa lux.** ] Sequitur *octavum & nonum* divinitatis Christi argumentum, à *beneficio nostræ adoptionis & fidei proprietate* sumtum, ubi omnia pulchra: dicitur (1.) Christum veram esse lucem, & excluduntur hîc omnes aliæ luces, quæ veræ & perpetuæ non sunt, e. g. *in oculis nostris* lux est, at non vera & perpetua, cœcum enim Sol illuminare non potest: *In ratione nostrâ* lux est, sed non vera & perpetua, quia in spiritalibus nimia laborat lippitudine: imò Apostoli lux quidē dicuntur, verum non *essentiali bono*, sed *accidentali* saltem dono, &c. CHRISTUS a. lux vera essentialis, immutabilis, æterna & perpetua est, *lux quæ nullo tempore mutatur, lux quæ nullo loco terminatur, lux quæ nulla nocte obscuratur, lux quæ nulla nube tegitur, lux quæ nulla umbrâ obvelatur*, Augustin. Dicitur hîc (2.) CHRISTUM lucem illam veram illuminare omnem hominem, qui venit in hunc mundum, variè hæc verba exponuntur. Quidam putant hicagi *de luce rationis*, quam Christus omnibus hominibus infundat, cum nullus tam bardus, barbarus & stipes sit, quin aliquid habeat iudicii & rationis, idque ex Christi dono. Alii per *πῶς ἂν ὁπῶν* intelligunt omnes illuminatos & regeneratos, hoc sensu: quicumque illuminantur, illi à Christo luce illà verà illuminantur, quemadmodum (inquit Augustinus) *si unus in urbe ludimagister Scholam habeat, dicitur ille omnium Magister, etiam si omnes non accedant*. Alii dicunt Christum ad illuminandum omnem hominem sufficientem esse, & sic loqui Johannem de Christi lucis illius veræ *sufficienciâ*, sed non *efficientiâ*, ut Calviniani loqui solent. Verum res plana est, Christus non modo *sufficienter* sed & *efficienter* illuminat hominem, & quidem omnem hominem, qui scilicet illuminari vult, & veram hanc lucem firma fide apprehendit, Sol omnes homines

illu-

IIX.

*A beneficio nostræ adoptionis.*

IX.

*A fidei proprietate.*



illuminat, sed non illos qui faciem tegunt pallio, sic quod multi à Christo justitiæ Sole & vera illa luce non illuminantur, culpa in ipso non est, sed in hominibus, non apprehendentibus lucem in verbo accensam: & rectè accommodatum simile Augustini de Iudimoderatore, pulchrum est, informat ille omnes, sed non omnes erudiuntur, quia non omnes obsequuntur. Dicitur hîc (3.) Lucem in mundo fuisse, sed à mundo non esse eam agnitam, ad suos lucem venisse, sed non receptam esse: Per mundum non externum mundi opificium intelligitur, sed mundus homines sunt, quales in mundum nascuntur, fuit itaq; lux in mundo, Christus in & cum genere humano familiarissimè conversatus est, *luisit in humanis divina potentia rebus*, tantus itaque benefactor & illuminator mundi, quomodo exceptus est? mundus eum non cognovit, repulit, repudiavit, & tolerabile esset quodammodo ab impiis & mundanis hominibus sperni Christum, si modo non adderetur id, quod admiratione dignissimum: *Ad suos venit, sed sui non receperunt eum.* Origenes per *3. d. 10.* intellexit totum mundum, cum Christo datæ sint gentes in hæreditatem & fines terræ in peculium, Psal. 2. Verùm rectius per propria intelliges (Chrysostr. interprete) Judæos, qui passim dicuntur: Dei peculium, Dei proprius & peculiaris populus, Dei primogenitus, Dei vinea dilecta, &c. Commissa erant Judæis Dei oracula, Rom. 3. ipsorum fuit adoptio, & gloria, & testamenta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, & Patres & Christus ex patribus, Rom. 9. imò Judæi erant, qui tot annis intonarant: *Rorate cæli de super!* Esa. 45. sed hi sui (rectius hæc suos) adventantem tandem Dominum non receperunt, Bethlehemi in stabulum ipsum ablegarunt, inde in Ægyptum fugarunt, Nazarethani de monte ferè non ipsum præcipitarunt, Hierosolymis ipsum crucifixerunt, &c. Verùm ne (4.) putes, neminem prorsus Christum, veram illam lucem, suscepisse, additur, maximam quidem hominum & Judæorum partem Christum sprevisse, aliquos tamen fuisse, qui vera ipsum fide receperint, idque non frustra, sed *quot quot* (nota particulam *universalem* dulcissimam.) *Quot quot* eum receperunt, illis dedit potestatem fieri, quid? forte Dei familiares, forte Dei domesticos, forte Dei amicos? nimis lævia hæc sunt, idèò additur, Christum omnibus se recipientibus dare potestatem, ut qui antea naturà filii iræ & Diaboli erant, fiant Dei filii, beneficium certè, quo nec majus, nec melius, nec sublimius dari potest; si enim filii sumus, utique hæredes sumus; hæredes nempe Dei  
& co-



& cohæredes Christi Jesu in omnibus cœlestibus, Rom. 8. & pulcherrimum est, quod dicitur Christum dedisse recipientibus se potestatem **FIERI** filios Dei, equidem charissimi, jam tum filii Dei sumus, 1. Joh. 3. sed in novissimo die plenissimè & planissimè filii Dei fiemus, & re ipsa ad cœlestem hæreditatè promovebimur, res n. fieri dicitur, quando innotescit; idèò licet jam filii Dei simus, ob multiplices tamè ærumnas hujus vitæ sæpius non innotescit, ibi a. gloria filiorum Dei **FIERI**, hoc est, maximè erit conspicua. Tandem (5.) quid est Christum recipere? & quid est filium Dei fieri? planissimè hæc explicantur, Christum recipere est manu fidei ipsum apprehendere, vel, ut Johannes loquitur, *in ipsum credere*. Filii autem Dei non sunt, sed *fiunt*, non nascuntur, sed *renascuntur*, non generantur vel ex sanguinibus, vel ex voluntate carnis, vel ex voluntate viri, sed *regenerantur* ex Deo, qui ipsos per semen immortale & incorruptibile verbi regenerat & ad vitam æternam renovat, 1. Pet. 1. Argumenta itaque talia sunt: I. *Quicumque ex filiis iræ & Diaboli Dei filios efficit, ille verus Deus est*, juxta illud Jehovæ: *Ego filios educavi*, Esa. 1. v. 2. *Sed Christus ex filiis iræ facit Dei filios*, Ergo. II. *In quem credendum, is est verus Deus, bonum enim est considerare in Domino & non in hominibus*, Psal. 118. imò maledictus qui fidit in homine, Jerem. 17. *Sed in Christum credendum*, Ergo.

¶ Observemus hic I. verum esse illud Jehovæ: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, sed populus meus conditorem & reparatorem suum non cognovit*, Esa. 1. v. 3. ter hæc querela in nostro textu repetitur, **Lux** (1.) in tenebris luxit, sed tenebræ (homines in tenebris sedentes) illam non apprehenderunt: **Lux** erat (2.) in mundo, sed mundus eam non cognovit: venit (3.) in sua, sed sui (sues illæ lutulentæ) non receperunt eum, fiunt hæc quotidie, venit Christus ad propria *per verbum prædicatum*, sed quis eum recipit? venit Christus ad *idæa in absolute*, sed quis eum recipit? mundum adhuc immensis ornat & penè non obruit beneficiis, sed mundus hæc non agnoscit. Confirmet hæc animos nostros, contra illas cogitationes, quæ non rarò piis etiam molestæ sunt, qui nimirum fiat, quod maxima mundi multitudo, tanto fastidio aversetur doctrinam de Christo & beneficiis ejus? Johannes hic respondet: *Mundus ipsum non cognoscit, mundus ipsum non recipit, mundus tenebrosus lucem non apprehendit*, perditio itaq; ex te, ô Israel, Osè. 13. ¶ II. *Observandum donorum divinarum maximum esse*, juxta Theodoretum, & *summam felicitatem*, juxta Gregorium Nyssen. quod credentes in Christum di-

*Ingratitudo deploranda.*

*Summum & donum & bonum est, quod summus filii Dei*



cuntur: FILII Dei, Equidem quantum in mundo est, esse filium Imperatoris, esse filium Regis, esse filium Principis, esse filium Comitum, esse filium Nobilium, imò albæ (quod ajunt) gallinæ esse filium; sed videte clarissimi, qualem nobis charitatem dederit Deus, ut filii Dei nominemur, I. Joh. 3. præ hac gloria omnis Nobilitas in nihilum profus evanescit, in hac gloria exultat modo Ecclesiâ cantans: *in carne nobis similis, peccato sed dissimilis, Vt redderet nos hominos Deo sibiq. similes*; & Cyprianus ait: *Christus Dei filius hominis filius esse voluit, ut nos filios Dei faceret, humiliavit se, ut nos jacentes erigeret, formam servi assumpsit, ut nos liberaret, &c.* Pater amat filios, prospicit eis de victu & amictu, in petitis assentitur, defendit eos, promovet eos, si ergò Dei sumus filii, utique pater ille celestis amabit nos, de necessariis providebit, exaudiet nostras preces, defendet nos, promovebit & exaltabit nos, ut tutò orare queamus: *Pater noster qui es in caelis, Weil du mein Gott und Vater bist / dein Kind wirstu verlassen nicht, &c.* ¶ III. Observ. de omnibus mortalibus verum esse illud Davidicum, Psal. 51. *Cum labe natus ecce sum, conceptus & cum labe sum*, ita Adam Sethum genuit ad imaginem suam, Gen. 5. ita dicimur omnes filii iræ naturâ, Eph. 2. ita Christus ait: quicquid ex carne natum est, caro est, Ioh. 3. imò hîc filii Dei dicuntur nasci; neque ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo: malè itaque Calviniani dō *Jeſu* assignant non regenerationi, sed parentum sanctitati, quasi ex sanctis, sancti etiam liberi generarentur, contra manifestissimum Christi aphorismum: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest regnum cœlorum ingredi.* Joh. 3.

Naturâ non sumus  
filii Dei.

Vidimus gloriâ ejus. ¶ Ut argumenta divinitatis Christi iusto ordine proponamus, hoc loco sequatur, *decima & undecima* conclusio, eaque talis: *E. Cujus gloriâ planè divinâ oculis suis viderunt Apostoli, is est verus Deus*; quia Apostoli testes sunt & à Deo præordinati, Act. 10. & à nobis, ut ipse Christus, audiendi, Luc. 10. *Sed Ioannes testatur, se & omnes Apostolos in Christo vidisse gloriâ non Moſaicâ ut in monte Sinai, nec angelicâ, de qua nudiustertius: sed planè divinâ, hinc dicit: Vidimus gloriâ Ejus, & Petrus. Tu es filius Dei viventis, Joh. 6. & Thomas Johan. 20. Deus meus ac Dominus meus, Ergò. II. Qui expresse dicitur unigenitus à Patre, is est verus Deus, sed talem dicit Ioannes, vidisse Apostolos. Ergò: nam licet multi sint filii, non tamen talis hîc est filius, est enim filius origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione, Hilar. l. 3. de Trin.*

X.  
à Gloria.

XI.  
à titulo Unigeniti Patris.



pag. 36. ¶ Observa hic: Cur Messiam oportuerit esse verum Deum? *Cur Coribus*  
 unica causa est: *Neceſſitas* quæ consideretur. Infinitus (1.) Deus qui *verus Dem.*  
 offensus erat, infinitam etiam requirebat satisfactionem, hanc angeli  
 præstare non poterant, sunt enim finitæ creaturæ, nec homo redimere  
 fratrem poterat, Psal. 49. v. 8. unicus ergo restabat Dei filius. Diaboli  
 (2.) tanta potentia est, ut sanctissimi etiam ne unicam quidem Satanæ  
 tentationem, sine Dei gratiâ superare possint, Ergo necesse erat ut ipse  
 Dei filius opera Diaboli destrueret, 1. Joh. 3. Oportuit (3.) mediatorem  
 motus cordium humanorum nosse, ut invocantium vota & gemitus  
 exaudiat, solus autem Deus *verus* est, Mediatoris (4.) erat ubiq;  
 adesse Ecclesiæ suæ & dominari, etiam in medio inimicorum; Papa qui-  
 dem tale quid Ecclesiæ promittit, ut fictum caput, sed nec caput nec  
 cauda est, Romæ tantum delitescit, & vix nobis, si Christum, verum  
 Deum, non propinquiores haberemus quàm Papam? quis denique  
 (5.) immediatè ausit ad thronum Dei accedere & preces nostras Deo  
 patri commendare, Homo hoc non potest, quia peccatores Deus non  
 exaudit, Ioh. 9. angeli quidem preces sanctorum Deo offerunt, sed di-  
 gnitatem nullam addere illis possunt, restat itaque solus Dei filius, qui  
 nostras preces Dei sanctissimis auribus dignas reddit, &c. Licet itaque  
 Mahometes Turcicus in Alcorano nihil magis impugnet, quam Chri-  
 sti Servatoris Deitatem, nominat nostram de filio Dei confessionem  
**STULTILOQUIUM**, Azoara 53. nominat peccatum detestandum. Azo. 28.  
 nominat *purum purum-purum Mendacium*, Azo. 12. nominat sermonem,  
 ob quem non mirum, *si Sol obscuraretur, si terra fugeret, si montes ruerent,*  
 Azo. 29. dicit Mahometh, si quis Christum Dei filium nominet, illum  
 dignum esse, *qui à volucris cæli devoretur, & à ventis ut pulvis dispergatur,*  
 Azo. 32. neomirum, *si talis in gehennam vivus descendat,* Azo. 24. 31. 58. 108.  
 dignum in quem ipse Deus increpet, Azo. 19. imò dicit Alcoranus, *ridicu-  
 lum esse;* aliquem Dei filium dicere, cum Deus conjugem non habeat,  
 Azo. 82. & si Deus haberet filium perpetuam inter patrem & filium fo-  
 re discordiam, Azo. 33. Sed verè **STULTILOQUIUM** continetur in his  
 omnibus, & nescit ipse Mahometh quid garriat, statuit enim Azoara  
 13. & 31. Deum Christo *propriam suam animam* inspirasse, quid autem Dei  
 anima quam ipsa Dei essentia? Proinde Turcis, Arianis, Photinianis &  
 omnibus aliis Christi divinitatem impugnantibus hæc undecim Johan-  
 næa tonitrua opponamus, & res plana erit, *qui tollit divinitatem Christi,*

*Alcoranus Tur-  
 cicus blasphemus in Christi  
 divinitatem.*



*Diabolus est, & hostis omnis justitia, imò maledictus est, cum non in Deo sed in homine confidat, Igitur. Epist. ad Antioch.*

Et verbum caro factum. ] A divinitate progreditur noster Apostolus *ad humanitatem*, eamque verbis longè divinissimis ita describit, I. dicit carnem esse factum VERBUM, equidem Paulus dicit, DEUM in carne manifestatum, I. Tim. 3. v. 16. Sed cum in Deitate tres sint personæ, sciendum quæ persona incarnata? Iohannes respondet: Non Pater, non Spiritus S. sed λόγος, h. e. filius Dei, secunda Deitatis persona, interprete Paulo, Rom. 1. v. 3. Gal. 4. v. 4. confutantur ergò hic, *Participasiani*, qui distinctas Trinitatis personas admittere nolebant, & non modo filium sed & patrem natum ac passum statuebant: cur autem verbum vel Filius Dei præ aliis divinitatis personis carnem assumere debuerit, mox dicemus. 2. dicit Iohannes λόγον factum esse CARNEM, hoc est, *verum hominem*, nam CARO, licet aliquando significet omnes creaturas, ut: *finis omnis carnis venit ante me*, Gen. 6. v. 13. qui dat escam omni carni, Psal. 136. v. 25. licet caro quandoque significet animalia bruta, ut: *carnem cum sanguine non edetis*, Lev. 19. v. 26. pluit super eos carnem, ut pulverem, Psal. 78. v. 27. licet caro quandoque significet corruptam hominis naturam, ut: quod de carne natum est, caro est, Joh. 3. v. 6. caro & sanguis regnum Dei non hæreditabunt, I. Cor. 10. v. 50. imò licet caro quandoque significet solum hominis corpus, ut: dabo carnem tuam volucris coeli, I. Sam. 17. v. 44. caro mea securè quiescet, Psal. 16. v. 9. hic tamen & alibi, caro, per Synecdochen membri, totum hominem significat, sic David dicit: Tu preces exaudis, ideò omnis Caro te accedit, Psal. 65. v. 3. effundam Spiritum super omnem carnem, Joel. 2. v. 28. Si dies non abbreviarentur nulla caro salvaretur, Matth. 24. v. 22. Omnis caro videbit Salvatorem, Luc. 3. v. 6. &c. Confutantur itaque hîc partim *Manichæi & Docetæ*, qui existimarunt filium Dei non verum hominem, sed phantasma saltem & quasi larvam humani corporis assumisise, caro autem (quam hic verbum dicitur assumisise) neque phantasma est, neque Spiritus, ut qui carnem & ossa non habet, Luc. 24. v. 39. Partim hic refelluntur *Apelles & Valentinus*, quorum ille voluit Christum assumisise corpus aliquod *æthereum* ex astris collectum, hic verò corpus Christi per Spiritum S. cœlitus delatum & λόγος in utero Mariæ unitum esse, utriq; opinioni expresse reclamatur vocula caro, quæ nec in æthere, nec inter astra repetitur: partim etiam hic confunduntur *Photinus & Apollinarius*, qui per carnem in-

*Carnis significatio varia.*

relle-



tellexerunt *solum corpus*, quod Christus sine anima assumeret, & deitatem animæ vices supplevisse; Verum quoties fatetur Christus, se habere animam, Joh. 10. v. 15. & 18. Matth. 26. v. 28. Luc. 23. v. 46. &c. & profecto si Christus animam nostram non assumpsisset, illa utique redempta non esset, quia *quod assumptum non est, redemptum non est*, hinc Johan. Damascenus pulchrè dicit: *Totus totum me assumpsit, ut toti mihi salutem gratis donet*. III. Dicitur hic Verbum caro FACTUM ESSE, ubi differendum de modo incarnationis filii Dei, qui difficilimus est & à sensibus humanis planè remotus *ἄπερ νῦν, ἄπερ φύσιν, ἄπερ λόγον, καὶ ἄπερ πῶσαν κατέληψεν*, si enim quis cœlum in terram delabi cumque terrâ conglutinari cerneret, nunquid non in stuporem daretur extremum? at cœlis multò celsior λόγος est, qui in terras descendit, cumque terrenâ naturâ semetipsum copulavit, Verbum caro factum est, *O breve verbum de VERBO abbreviato, sed cœlesti suavitate refertum!* Bernhard. in Vigil. Nativ. Serm. 1. *Verbum caro factum est, at quomodo factum? Nescio, miraris quod nesciam? tota creatura ignorat*, Chrysost. Arius hoc dictum ita exposuit: *Verbum caro factum est, h. e. mortale redditum est, vel morti se subjecit*. Apollinaris, teste August. hoc dictum ita exposuit: *Verbum caro factum, h. e. λόγος conversus est in carnem*. Eutyches hoc dictum ita exposuit: *Verbum caro factum est, h. e. caro à λόγῳ absurda, vel in λόγον mutata est*. Nestorius, juxta Theophylacti & universæ antiquitatis testimonium, hoc dictum ita exposuit: *Verbum caro factum, h. e. invenit hominem virtutibus præditum illi, se adjunxit*. Verum his sententiis, ut vanis & falsis remotis, nos ita exponimus hunc Aphorismum: *Verbum h. e. verus Dei filius, induit vel assumpsit carnem h. e. verum hominem, imò verbum caro factum, h. e. utraq; natura simul in una persona, Dei & hominis, ineffabili gratiæ largitate ita conjuncta est, ut verbum manens quod erat, factum est quod non erat*, juxta versiculum: *Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor utrumque*. Vel, ut Athanasii Symbolum explicat: *Verbum caro factum est, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum*, ita, ut secunda Trinitatis persona jam sit non tantum Dei filius, sed Dei & Mariæ filius bis genitus, semel ab æterno, deinde in plenitudine temporis. Et verè ineffabilis est hæc verbi & carnis unio, quæ in tota rerum natura nullum habet simile. Equidem Damascenus lib. 3. Orthod. fid. c. 3. varios unionis modos facit, sed nullus huc quadrat: *Quædam enim uniantur per appositionem, ut duæ asses conglutinati, ut clavus in tota, ut*



gemma in annulo, ut Antverpia Oceano adjacens, qua quidem similitudine circa hoc mysterium nonnulli Calviniani utuntur, sed frustra, cum caro & verbum sic unita non sint. Quædam uniuntur per *coacervationem*, ut diversa tritici, hordei, avenæ &c. grana accumulata, sed caro & verbum ita unita non sunt. Quædam uniuntur per *Mixturam*, ut aqua & farina in unam redacta massam, sed nec ita verbum caro factum. Quædam uniuntur per *assistentiam*, ut angelus adstitit lateri Petri, Act. 12. Quædam uniuntur per *coherentiam*, ut lapides & ligna unam domum constituunt. Quædam uniuntur per *contemperationem*, quando vino aqua affunditur. Quædam uniuntur per *transmutationem*, ut aqua facta est vinum in nuptiis Canæ, Joh. 2. ut baculus Moysi factus est serpens, Exod. 4. Quædam uniuntur per *habitudinem*, sicut homines eorundem morum, ejusdem eruditionis, ejusdem religionis pulchrè consentiunt & sunt quasi cor unum & anima una, ut de primis Christianis dicitur, Act. 4. Quædam uniuntur per *immediationem*, ut ignis unitur ferro, qua quidem similitudine aliquoties usi sunt S. Patres, sed & hoc simile quatuor currit pedibus, nec per omnia quadrat. Imò quædam uniuntur *essentialiter*, ut anima & corpus, & pulchrè quidem hoc simile Mysterio unionis personalis ita accommodari potest: ut corpus & anima constituunt duas distinctissimas naturas, quarum altera mortalis altera immortalis, altera visibilis, altera invisibilis & tamen ambæ unum constituunt hominem ita; ut anima & corpus in se suisque proprietatibus semper realiter distincta maneant, & tamen anima nihil operatur sine corpore & corpus nihil patitur sine anima: Ita Verbum & caro manent distinctissimæ naturæ, & tamen Verbum nihil operatur nisi per carnem, tanquam proprium suum *ὁργανον*, & caro non patitur separata à *λόγῳ*, sed quando caro sanguinem fundit, vocatur ille sanguis filii Dei, 1. Joh. 1. Act. 20. Sed quicquid sit, anima tamen & corpus uniuntur *Naturaliter*, in mysterio incarnationis autem, licet unio sit naturarum, *Naturalis* tamen non est, & licet sit personalis, *personarum* tamen non est. Proinde huic Mysterio competit unicus ille unionis modus, quo Verbum & caro *καὶ ἑνωθέν* unita sunt tanto mysterio, ut Origenes l. 2. de Principiis c. 6. dicat: *Cum summâ profectò admiratione obstupefactus, quod eminentissimus omnium, filius Dei, de statu majestatis suæ se exinaniens, Homo factus & inter homines conversatus est, deponens Deum apud homines & homines apud Deum, per incarnationem.* ¶ Observemus hic, I. Cur carnem assumeret, nec Pater, nec Spiritus



ritus S. sed λόγος secunda Deitatis persona? Patres à posteriori has rationes ponunt: (1.) cujus fuerat ἀλάσις, ejus etiam esse debuit ἀνάπαυσις, & cujus κηπίσις, ejus etiam debuit esse ἀνάκνησις: jam verò Deus pater hominem per filium crearat, ergo. eundem per filium recreare & credere voluit, ut ita figment a sua ipse fictor resingeret. Justinus Martyr. in exposit. fid. pag. 299: idemq; esset per quem omnia pater fecit & per quem omnia refecit: Athanas. Epist. ad Epictet. nam ad injuriam Filii pertineret, si opus per eum factum per alium reformaretur; August. in quaestionib. ex utroque Testam. pag. 113: (2.) Qui in Deitate erat patris filius, ille in humanitate matris filius debuit fieri, ne duo crederentur filii, Fulgent. l. de fide ad Petrum c. 2. (3.) Æquum erat, ut filius frater noster fiendo, Nos ira filios, per suæ fraternitatis consortium Dei filios efficeret, Quomodo enim filii essemus nisi per filium, Iren. l. 3. c. 20. (4.) Homo per peccatum amiserat λόγον sive rationem & intellectum in spiritualibus, incarnari itaque λόγος voluit, ut spiritualem redderet intellectum illis qui ceu equi & muli facti erant, Niceet. l. 2. thesau. Orthod. fid. c. 3. (5.) Amiserat homo vitam, sed λόγος ipsa vita est, hinc non fuit aliterius mortale immortale efficere, nisi ejus, qui ex se ipsissima vita est; h. e. D. N. J. C. Athanas. l. de incarnat. Verbi pag. 45; vel ut Ecclesia canit: Weil dann die Schlang Evam hat bracht/ Dasi sie ist abgefallen / Von Gottes Wort / welches sie veracht / Dadurch sie in vns alten / Bracht hat den Todt / so war je noth / Das vns Gott wolte geben / Selten leben / Sohn / den Sitaden Thron / Durch den wir möchten leben. (6.) Æquum erat, ut hominem in initio ad Dei imaginem conditum, ipsa imago Dei inconspicui repararet; Patri imago venit, ut hominem ad Dei imaginem figuratum reformaret, Athanas. l. de incarn. verbi pag. 43. & seq. (7.) Cum nemo noverit Patrem nisi Filius, & cui filius voluerit revelare, utiq; Filium Dei Mediatorem esse oportuit, cum is arcanam Dei voluntatem ex sinu Patris proferat, Joh. 1. Hæc quidem rationes dari possunt, cur secunda Deitatis persona, Filius, carnem assumeret; sed, ut dixi, à posteriori, à priori enim nulla alia est ratio, quam immensa Dei patris dilectio, de qua Christus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, & c. Joh. 3. ¶ II. Observemus cur Redemptorem nostrum oportuerit esse carnem sive hominem? quia (1.) homo peccaverat, æquum itaq; erat & justitiæ divinæ consentaneum, ut homo satisfaceret (2.) in humanitate redemptionis opus perficere voluit Christus, ut certo homines scire possent, Christi meritum ad se pertinere, (3.) quomodo

Cur λόγος homo factus.

Cur Redemptor noster necessarius homo.



modo Christus nos redimere potuisset, si non verus homo fuisset, qui carnem habuisset & sanguinem? *sine sanguine* profectò nulla sit peccatorum remissio, Heb. 9. v. 22. (4.) Si Christus non fuisset homo, quomodo nobiscum conversari, nos docere, nostrasque experiri infirmitates potuisset? homo autem factus tentatus est per omnia, ut omnibus infirmitatibus nostris compati queat, Heb. 4. v. 15. (5.) Frater fratrem confidenter adit, humanam itaque naturam assumens Christus, noster fieri frater voluit, ut eo majori ipsum accederemus confidentiâ. Hinc Paulus: Unus est mediator Dei & hominum, *homo* Christus Jesus; ubi mediator noster *Homo* dicitur, non quòd sola humana natura sit mediator, sed ut *homines* *Homini* causam nostram tantò confidentius committamus, 1. Tim. 2. v. 5. (6.) Homo esse debuit Christus, ut, suo quodam jure, non redimere posset, Fratris enim & agnati olim officium erat, amissa bona redimere, Lev. 25. (7.) Optimus mediator ille est, qui de utroque diffidente *participat*, utriusque causam simul agens, cum itaq; Christus Deo *ὁμοῦσι* & esset *ab æterno*, nostræ etiam carni *ὁμοῦσι* & fieri voluit *in tempore*, ut apud utramque partem fidem inveniret tantò faciliorem (8.) Radulph. Ardens pulchrè sic discurrit: *Redemptio per Hominem magis erat conveniens: magis nos inflammans, magis nos informans: magis Deum nobis manifestans: magis nos ad spem erigens.* Magis erat conveniens, quod sicut Homo per inobedientiam peccaverat, ita Homo per inobedientiam satisfaceret. Magis nos inflammans ad Deum amandum erat, quod ipse tantum nos dilexit, ut Homo fieret, & tanta pro nobis pateretur. Magis nos informans ad humilitatem, ad patientiam & charitatem erat, quod ipse hujusmodi se dedit exemplum & magistrum. Magis Deum nobis manifestans erat, cum sub forma apparuit humana, qui incomprehensibilis erat in divina. Magis ad spem nos erigens erat, ut non dubitemus, nos posse Dei filios fieri, cum propter hoc filius Dei sit factus filius hominis. ¶ III. Observ. jucundissimam consolationem latitare in vocula carnis: Verbum CARO factum est, certum enim est carnem aliquando humanas notare infirmitates, ut: omnis Caro scenum, Esa. 40. v. 6. ita Paulus dicit se prædicasse Evangelium *in infirmitate carnis*, Gal. 14. v. 13. imò tempus exinanitionis Christi dicitur *tempus carnis*: in diebus carnis oravit, Hebr. 5. v. 7. Verbum itaque factum est caro, h. e. interprete Brentio: *Fragilitas, Contentus, excretio, pauper, esuriens, sitiens, mortalis & damnatus*; Has itaque infirmitates assumpsit Christus sine peccato, partim ut nostros affectus emen-

*Infirmitates  
Christi volun-  
taria nobis ju-  
cundissima.*



emendaret & corrigeret, partim etiam ut eò arctius nobiscum se con-  
jungeret, sicut mater cum ineptiente & balbutiente infante, etiam *in-*  
*epit & balbutientem se fingit*, juxta August. l. 2. de gene. contra Manich. c.  
24. imò omnis Christianorum consolatio ex eo resultat, quod Ver-  
bum caro factum est, hinc modò Ecclesia canit: *Avi Parentis filium jam*  
*tenet præsipium-cum Carne vili se Deus-vestivit invisibilis*, In vnser armes  
Fleisch vnd Blut Berkleidet sich das ewige Gut. Desß solt ihr billig frö-  
lich seyn / Daß Gott mit Euch ist worden ein / Er ist geboren ewer Fleisch  
vnd Blut / Ewer Bruder ist das ewige Gut; hinc apud hanc nostram  
Metropolitanam Ecclesiam, singulis olim dominicis decantatum est  
Symbolum Nicenum, in quo illa verba: Et incarnatus est de Spiritu  
Sancto, ex Maria Virgine, & HOMO FACTUS EST, hæc inquam verba, a  
Pueris in Choro, aperto capite & tardâ voce devotè repetuntur, nota  
etiam est narratio illa, ex Papatu procul dubio reliqua, quod videlicet  
quidam Auditorû, tecto capite & poplite non flexo, hæc verba auscul-  
tarit: ET HOMO FACTUS EST, quem propterea ipse Dæmon increpa-  
rit & alapam ei infragerit, ut qui summè ingratus, tantæ redemptionis  
tantum beneficium (à quo Dæmones exclusi) non agnosceret, Judi-  
cium Lutheri in Postilla Dom. Fest. Nativit. de hac relatione tale est.  
Ich achte nicht daß es wahr sey/denn der Teuffel ist vns vnd dem HERRN  
Christo zu feind/ Aber das ist gewißlich wahr/wer es also ertichet hat/der  
hat einen hohen Geist gehabt / vnd die grosse Ehre wol verstanden / welche  
vns widerfahren / in dem / daß der Sohn Gottes ist Mensch worden / &c.  
Et profectò malitia plus quam Diabolica est, pro tanto beneficio Deo  
non agere gratias, nos cum Philip. Melanath. dicamus:

*Nil sum, nulla nisi ser novi solatia, massam*

*Humanam nisi quod tu quoque Christe geris.*

*Tu me sustentas fragilem, tu Christe gubernas,*

*Fac ut sim massa sarculus ipse tue,*

*Hoc mirum fœdus semper mens cogitet: Vno*

*Hoc est, ne dubites, fœdere parta salus.*

Et habitavit in nobis. ] Quæ restant paucissimis absolve-  
mus. I. Dicit Evangelista: Verbum habitavit in nobis *ἐν ἡμῖν*, inter  
nos, & rectè restringuntur hæc ad Apostolos, qui hujus conversationis  
testes fuerunt, additur *ἐσκήνωσε*, h. e. *tabernaculum fixit à σκηνή*, cujus vo-  
cis significationes si explicentur, causæ apparent ob quas ipse λόγος in-  
ter nos

*ἐσκήνωσε Ver-*  
*bum suum dissi-*  
*muto.*



ter nos habitare voluerit, 1. in Scena *luditur*, innuitur itaque hac voce, divinam majestatem λόγος usque adeo se demisisse, ut hominibus in theatro hujus vitæ quasi colluserit, juxta illud: *Ludit in humanis divinitate potentiarebus*, delictæ meæ cum filiis hominum, Prov. 8. 2. Σκηνὸν dicitur tugurium *exultantium*, innuitur itaque λόγος terreni hujus exilii injurias voluisse experiri, ut ex mundano hoc lacrymarum theatro ad celestem patriam nos perduceret. 3. Σκηνὰς sunt *tentoria & castra militum*, vñd sibi et man/wie es im Kriege zugehet/da müssen offte Herr vñd Knecht/Arm vñd Reich in einem Gezelt wohnen/ vñd mit einander gut vñd böses aufstehen/ ita Christus noster *commilito* factus est, imò dux & ἡγεμῶνος noster, qui deò tentorium humani corporis ingressus est, ut in eo fraudes & immanitatem hostium nostrorum omnium experiretur eosque vinceret &c. Vide Gesn. in Pl. 8. p. 99. II. Joannes dicit Apostolos vidisse *Gloriam Christi*, & monet Lyranus hoc factum esse, (1.) *In Patrie festinatio*, clarificationis tempore, Matth. 17. (2.) *In angelorum Servizio*, tempore tentationis, Matth. 4. (3.) *In creaturarum obsequio*, cum primis verò maris intempesti, Matth. 8. (4.) *In concionum & miraculorum stupendo cumulo*, adde tu (5.) *in ascensionis tripudio*, (6.) *in missionis Spiritus S. prodigio &c.* III. Dicit Joannes Apostolos vidisse in Christo gloriam, *gloriam quasi unigeniti à Patre*, ubi Ariani per particulam *ὡς* QUASI, ἄλλοι voluerunt intelligere quandam divinitatis saltem *similitudinem*, sed particula QUASI, hoc loco, non est similitudinis aut comparationis, sed *confirmationis & indubitæ definitionis*, ut *Caph veritatis* apud Hebræos, viderunt itaque Apostoli in Christo gloriam non *ministri* sed *Autoris*, non cujuslibet *sancti*, sed naturalis & unigeniti filii Dei, quia *Adverbium Quasi significat hic non solam similitudinem, sed potius veritatis expressionem, Ardens*. Sicut cum Paulus dicit: *tanquam filii lucis ambulante*, Ephes. 5. v. 8. *tanquam* non improprietas, sed veritatis nota est, atq; sic in sacro eloquio, *sicut & quasi*, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate, Greg. l. 18. moral. c. 6. IV. Tandem addit Joannes se vidisse Christum *plenum gratiâ & veritate*, plenum omninò gratiâ & *passivè & activè: passivè* ille gratiam Spiritus S. accepit sine mensura, celesti hoc oleo præ consortibus unctus, Psal. 45. *activè* autem nil nisi gratiam Dei patris hominibus annuntiavit: plenum etiam *veritate*, quia veritas omnium Vaticiniorum & Typorum in ipso completa est, imò ut Christus ipse veritas erat, Joh. 14. ita in ipso ore nullus unquam dolus in-



ventus est, Esa. 53. ¶ Suppeditant hæc varias consolaciones (1.) si in scena hujus mundi multa nobis toleranda sunt, cogitemus λόγος in hac etiam scena versatum, habitavit enim in nobis σκηνώσας, ita igitur nobiscum aget, ut hujus mundi comœdia lætum consequatur exitum, impiis sub infelici tragœdia tandem malè pereuntibus, (2.) si Apostoli Christi viderunt gloriam, ut gloriam unigeniti à Patre, nos utiq; hujus gloriæ aliquando erimus participes, juxta illud: *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam meam, quam dedisti mihi, nam gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, &c.* Joh. 17. v. 22. & 24. patienter igitur feramus adversitates hujus seculi, cujus ignominia æstimanda non est, ad futuram gloriam, quæ in nobis revelabitur, Rom. 8. v. 18. (3.) Si Apostoli viderunt Christum plenum gratiâ, cur Papistæ suos ablegant homines ad Sanctos, præsertim verò ad B. Mariam, quam semper his invocant: *Ave Maria Gratia plena*, & Lyranus hæc ita conatur defendere, quod dicit Mariam quidem non esse *gratia Datricem*, sed tamen *Gratia Imperatricem*, sicut etiam Stephanus ita dicatur *plenus gratiâ*, Act. 7. v. 55. verùm Maria ab angelo non dicitur plena gratiæ, sed saltem *κεχαριτωμένη Gratiosa*, sic Stephanus quando plenus Spiritu S. dicitur, per illam plenitudinem largior quidem Spiritus S. gratia intelligitur, sed talis tamen, quæ Sanctis competit, confugiamus itaque ad Christum unicum illum gratiæ thronum, & gratia nobis non denegabitur. Et tandem (4.) si Apostoli Christum viderunt *plenum veritate*, cur ipsius verbis non tutò crederemus, credamus in coena sub pane corpus & sub vino sanguinem sumi, quia dixit ille, *qui plenus est veritate*: credamus à peccatis in baptismo nos ablui, quia dixit ille, *qui plenus est veritate*: Credamus in confessione peccata efficacissimè nobis remitti, quia ille dixit, *qui plenus est veritate*; imò credamus nos post mortem resurrecturos & vitam æternam adepturos, quia dixit ille, *qui est plenus veritate*, *Christus Iesus*, cui cum Patre & Spiritu S. sit laus & gloria, nullis seculorum seculis terminanda,

AMEN,